DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM DE

DYSENTERIA,

COMPLECTENS.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

QUÆDAM DE

DYSENTERIA,

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS PEACOCK,

SCOTUS.

Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando. TULL.

Calendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT OLIVER ET BOYD.

MDCCCXXII.

AMICO SUO CARISSIMO

GULIELMO N. STEVENSON, M.D.

NON MINUS PERITIA SUA IN ARTE MEDENDI,

QUAM

BENIGNITATE ET MORUM SUAVITATE

INSIGNI,

MAXIMA OB BENIFICIA,

ANIMI GRATISSIMI TESTIMONIUM,

HANC DISSERTATIONEM

CONSECRAT

NUPER ALUMNUS,

AUCTOR.

NECNON,

THOMÆ OLIVER,

ARMIGERO,

CLARISSIMO TYPOGRAPHO EDINENSI,

IN LUCE VERE SPECTATO,

INTUS DOMIQUE PRÆSTANTIORI;

HASCE PAGINAS,

AMORIS, AMICITIÆQUE PIGNUS,

D.D.D. QUE

AMICUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

Omnium rerum, quibus humanum genus occupatur, nulla tantam attentionem meret quam ars medendi; quippe quæ dolores levet, et morbis implicitis opituletur. Cujus notitia a scientia corporis humani structuræ acquirenda est, hæc enim cognita juvat medicum et tuenda salute, et morbis sanandis, sed omnium morborum quibus humanum corpus obnoxium est, Dysenteria locum fere principem obtinet; de qua verecundia cum decente pauca disserere statui.

DE DEFINITIONE.

CULLENUS illustris, Dysenteriam in classe pyrexiæ et ordine profluvia posuit, et hisce verbis definivit; "Pyrexia contagiosa; dejectiones frequentes, mucosæ vel sanguinolentæ; retentis plerumque fœcibus alvinis, tormina, tenesmus." Multæ et variæ descriptiones hujus morbi a veteribus datæ sunt, HIPPOCRATES sub nomine Dysenteriæ, omnes hæmorrhagias et intestinorum ulcerationes comprehendit, alii huic verbo magis definitam significationem dederunt, et ab his, Dysenteria intestinorum ulceratio tenesmo et dejectionibus mucosis et sanguinolentis comitata designata est; aliqui Dysenteriam sine febre non contagiosam affirmant, alii materiam contagiosam constare e natura mucosa membranæ quæ intestina tegit, et non ægri febrili perspiratione et spiritu existimârunt; Dysenteria maxime contagiosa est in valetudinariis et castris, et pauperum domibus quibus sordes, et aer humidus sæpe insunt.

MORBI HISTORIA.

Hoc morbo ægro frequens ad exonerandum alvum desiderium est, et sævis torminibus et tenesmo angitur, sellæ quanquam frequentes admodum parcæ sunt, et ex materia mucosa, et spumosa componuntur, fœces naturales plerumque retinentur, nisi in forma scybalarum, quibus expulsis, æger paululum sublevatur.

Hoc tempore, morbus aliquando horroribus, et aliis signis pyrexiæ aggreditur; scilicet languore, lassitudine, anorexia, et calore aucto, æger sæpe nausea et vomitu bilioso laborat, pulsus frequens est, lingua sicca est, cum fœditate oris; hæc symptomata breve post intervallum, propria signa Dysenteriæ sequuntur; Dysenteria præsertim autumno et æstate occurrit, et sæpe febre intermittente complicatur, sed sub initio modo intermittentis, modo synochæ typum induit: plerumque autem morbo provectiore indolem typhi assumit: morbo progrediente, res quas sellæ continent variæ sunt, modo

ex muco solummodo componuntur, modo lineamentis sanguinis intertextæ sunt. Ubi nihil præter mucum redditur, morbus Dysenteria alba, vel morbus mucosus appellatus fuit, serum nonnunquam in sellis invenitur, et ex superioribus partibus intestinorum originem ducit.

Intestinorum tunica villosa interdum ulceratur, et emittitur dejiciendo, visceribus ulceratis, sed hoc accidit morbo adeo provecto, ut in pus tenue et putre materia membranacea vertatur, vel ita cum sanguine et muco misceatur ut non discerni possit, vermes aliquando per os exiguntur et per anum emittuntur; si suspicionem eos existere habemus, nos oportet quam primum conficere, quod inflammationem promovent intestinorum tunicas irritando.

Morbo provectiore, sellæ nigrescunt, et pessime olent; hæc mutatio gangrænam adesse sæpe indicat; ægro inscio dejiciuntur; singultus sæpe oritur vix tollendus; hoc tempore aliquando urinæ suppressione et stranguria æger opprimitur, inflammatione intestinorum ad cervicem vesicæ serpente; urina calore sæpe multum variat, modo rubicundi coloris est, et par-

va quantitate redditur, modo nigri, aliquando est coloris expers; aphthæ sæpe linguam obducunt et interdum in fauces internas totas sparguntur, Miliaria interdum huic vitio accedere dicitur.

Dolor et fatigatio quibus æger tandem expositus fuit, principium vitæ incipiunt diruere et exitu fatali jam venturo, motus arteriarum celer et debilis fit, frigidi et viscidi sudores in superficie erumpunt, facies pallet, frigescunt extrema, et miser tandem vita absolvitur.

SECTIO CADAVERIS.

Inciso cadavere, invenimus plerumque evidentes notas inflammationis, gangrænæ, et ulcerationis; interdum invenimus omnia intestina nigra; omnia sed præcipue intestina majora afficiuntur neque raro inflammationem ad ventriculum ascendisse invenimus: tunicæ omnes crassantur, et tunica villosa frequenter abraditur, et in materiam putridam subviridis coloris mutatur. Cum lenior fuerit morbus, quædam

pars recti aut coli solummodo afficitur, sin fuerit violentior, invenimus superficiem intestinorum majorum inflammatione, ulceratione, aut gangræna occupatam; intestinorum superficies interna humore glutinoso sanguinolento, pessimi odoris, sæpe obtegitur, præter hæc supra memorata auctores mentionem faciunt, de tuberculis, instar magnitudinis pustularum variolarum, quæ ex tela cellulosa originem ducere visa sunt.

In Hepate, exemplis plurimis nihil invenimus inusitatum, plerumque ejus moles, quum fit morbosa, augetur, et gangræna, quibusdam conspicata est.

Pancreas et lien, sæpe eandem quoque cum hepate sortem participant. Bilis sanè, tum quantitate, tum qualitate multum variat; sed crassior plerumque fit, et haud raro nigrescit.

Mutatio præcipua quod subit vesica urinaria, in ejus liquore invenitur, quæ in materiam chylo similem aliquando vertitur ex omnibus hisce jam dictis, causam mortis patet originem ducere ex inflammatione et intestinorum gangrænâ.

DIAGNOSIS.

Dysenteria a diarrhœa, cholica, enteritide, et cholera signis sequentibus facile distinguitur; dysenteria laborantem, pyrexia semper ab initio lacesset, nunquam diarrhœa, et si pyrexia diarrhœæ superveniat, symptomatica habenda est; in diarrhœa dejectiones sunt magis copiosæ; dysenteria in hac insula contagiosa est, nunquam vero diarrhœa, a cholica alvo pertinaciter astricta; et spasmo musculorum ventris; ab enteritide dolore ardenti et torquente circa umbilicum, a cholera frequentibus biliosis dejectionibus et vomitibus, surarum spasmis distinguitur.

DYSENTERIÆ CAUSÆ.

Quænam huic morbo sint causæ excitantes, scriptorum sententiæ variæ sunt. Harum

principes sunt, victus parum saluber, frigus, auræ putridæ et contagio ; victus parvus, mala hujus morbi semper inducit, et videtur causa esse princeps, quare inter pauperes dysenteria multo malignior grassetur : frigus sæpe dysenteriam excitare videtur ; frigus perniciosissimum est, sæpe et subito calore, mutatum, quæ fortasse causarum una est, quare gelidum et humidum cœlum tam perniciosum sit, calor enim multos vapores excitat, qui postea condensati, humiditatem et algorem vesperi gignunt, quo tempore frigus semper perspirationem minuit, et sanguinem intus cogit, et sine dubio morbum multum intendit ; et est causa frequentissima ejus redeuntis ; auræ putridæ canalem alimentarium facile afficiunt, et aliquando diarrhœam producunt, sed an unquam dysenteriam producant, non satis constat ; certe tamen symptomata exasperant, et contagiosam faciunt ; sed hujusa morbi causa frequentissima certe est contagio, et in hac insula forsan unica ; contagio impertitur in cloacis ubi dysenteriæ laborantes alvum exonerant, et alii

qui vestimenta ægrotantium lavant, morbo capiuntur sed natura et modus operandi contagionis aciem mentis humanæ omnino fugit.

PROGNOSIS.

Eventus hujus morbi semper dubius, et natura adeo periculosa est, præsertim si propria remedia non sint mature exhibita; mulieres, infantes, et provecti ætate dysenteriæ maxime obnoxii sunt, et periculo majore versantur. Quando symptomata idoneis medicamentis non cedant, eventus semper metuendus est; et si inflammatio vehementissima sit, et diu permanserit, metuendum est, ne gangræna sequatur, quæ si accidit, mors instat; si pyrexia sit gravis, tormina et tenesmus valde vehementia, et æger multum debilitetur typho urgente, mors in propinquo est. Petechiæ, dejectiones nigræ, virides, et faedissimæ, periculum maximum, et morbum esse generis putridi nunciant; pulsus parvus, exiguus, et debilis, extrema frigida, dolor circa præcordia, urina et stercus

sponte elabentia, sunt signa pessimi ominis, et supremam horam adesse nuntiant; e contrario vero, quum, alvo expurgata, dolor mitigatur, dejectiones fiunt minus crebræ et ampliores, tenesmus lenitur, superficie leni et universa perspiratione madefactâ, cum somno tranquillo et recreante, tunc felix praemonstratur eventus.

RATIO SYMPTOMATUM.

Quæ supra de morbi natura proposui, terminum, tenesmi, et stercoris durioris intestina irritantis, rationem satis bene explicari videntur.

Dolor vero in hoc morbo enascitur procul dubio e durato stercore tunicas intestinorum teneras ex muco abraso, irritantibus; ideoque, hoc dejecto per idonea remedia levantur signa. Dejectiones sanguinis e vasis alte in intestino sitis, ope irritamenti jam dicti originem videntur ducere. Minorum striarum cruoris vero in intestino, exiguis vasis per tenesmum vulneratis fontem petere liceat. Pus, quod morbo provectiore et inveterascente interdum dejicitur ex tu-

nicis intestinorum exulceratis excernitur. Pus autem meracum nunquam in Dysenteria effundi possit. Materia Sebacea, quæ toties descendit, pro muco coacto habenda est et fimbriæ membranaciæ partes teneri et irritati intestini abrasæ esse videntur. Vomitum ex abnormi intestinorum motu, et inde ventriculum ipsius, propter consensum partium exoriri judicare licet. Urinæ difficultas videtur proficisci e stercore duro et acri irritante, et spasmo sphincetris vesicæ per consensum nervorum consequente, vel etiam e cervice vesicæ stercore oppressa, unde urinæ transitus impeditur. Corporis macies, ex deficiente nutrimento, nimirum vasis absorbentibus ad sua munera rite perfungenda minus valentibus, enasci existimatur.

RATIO MEDENDI.

Si dysenteria in homines robustiores, et constitutione corporis pleniore præditos, impetum fecerit, sanguis detrahi potest; et ob proclivitatem intestinorum, ad inflammationem et ad

gangrænam, quantitas sanguinis moderanda est, pro viribus et habitu ægrotantis, et vehementia inflammationis; sed quoniam morbus sæpe febre typhode comitatur, venæsectio summa cum cura perficienda est, quando morbus putridam formam induit, aut æger multum debilitatur, methodus omnino diversus sequendus est.

Emetica et Purgantia, præ remediis aliis in Dysenteria adhibenda sunt; ad ventriculum deplendum, et fæces induratas et sordes ab intestinis removendas, præsertim sub initio morbi utilis invenitur vomitio, cui consilio Ipecacuanha sive Tartris Antimonii bene inservit, sed nequaquam indiscriminatim usurpanda sunt: Tartris Antimonii enim emeticum est nimis vehemens operatione ægro debilitato, preserti m autem in regionibus calidis, ubi corpus admodum laxatur, et magna proclivitas ad putredinem adest, contra in regionibus frigidis, habituque corporis pleno Tartris Antimonii adhiberi debet. Ipecacuanha vero, partitis vicibus, dosibus duorum triumve granorum, omni tertiâ vel quartâ hora sumatur; et ad ventriculum

gravatum exinaniendum valet, et pylorum transiens intestina ritè exonerat.

Purgantia leniora plerumque anteferenda sunt quippe quæ tutiora sunt, quoniam eorum frequente repetitione forsan opus erit, et febris comitans sæpius Typhus est, cathartica enim quæ vires ægrotantium frangunt, caute sunt adhibenda, multi ægri quidem non catharticam sæpius quam tertio quoque die possunt tolerare sine magna virium prostratione; cathartica leniora quæ vulgo præscribuntur sunt sequentia, Sulphas et Phosphas Sodæ, Sulphas Magnesiæ, Oleum e Seminibus Ricini, Cassia Senna, Rheum Palmatum, et Submurias Hydrargyri. Si leniora non exinaniunt, adhibenda sunt medicamenta quædam validiora, pulvis scilicet radicis convolvuli Jalapi cum Submuriate Hydrargyri conjunctus et cetera, quæ dosibus propriis adhiberi oportet; in Dysenteria purgantia vel rarius vel nunquam levamen ferunt, dum scybalæ dejiciuntur; his autem expulsis, intestinorum spasmi sæpe celerius levantur.

Aliquando ventriculus est adeo irritabilis, ut cathartica vomitu rejiciantur, quando hoc acci-

dit, cum quovis grato aromatico sunt adhibenda.

Maximi momenti in hoc morbo sunt enemata ex oleo et mucilagine confecta; quoniam non solum evacuant, sed etiam internas tunicas intestinorum muniunt, et dolorem leniunt, tenesmum quoque et tormina compescunt. Nihilominus nullo modo opinor solummodo ad intestina purganda enematis fidem esse habendam. Symptomatibus inflammationis, et pyrexiæ remotis, Opium in portionibus enematum summo cum beneficio administratur, et magnopere ad quædam levanda mala confert; hoc modo intestinorum irritabilitas hebetatur, et tormina magno modo supprimuntur.

Balneum tepidum, et semicupium plurimum celebrantur præsertim sub initio morbi, hæc tormina superant; et ad spasmum intestinorum sublevandum, ideoque ad vires purgantium augendas conferunt. Hoc consilio Vesicatoria quoque usui fuerunt abdomini admota; quando tenesmus instat, et violenter urget, post purgantium et usum opii proprium; rectum exulceratum esse concludendum est; ad hoc leniendum,

enema emolliens cum opio injiciatur oportet. In stadiis provectioribus morbi ventriculus et intestina vulgo acore opprimuntur, quare absorbentia, qualia mixtura cretacea, aqua calcis, administrentur oportet.

Si morbus diuturnus fiat, et vires ægri multum frangantur, curatio ex amaris et astringentibus, et diæta debitâ pendebit; usu vini rubri, et extracti catechu, &c. cinchonæ officinalis etiam, acidi sulphurici, interdum aqua calcis curatio tentanda est, hæc in stadiis morbi provectioribus, in quibus summa debilitate morbus vulgo comitatur, cum magno beneficio adhibentur.

Cibus animalis, liquores ardentes, et fermentati sedulo evitandi sunt, et diæta ex oryza, hordeo, farina, et jusculo tenui, et aliis hujusmodi sumenda est, sub initio morbi poma cocta edantur, sed non sub fine morbi, si acrimoniæ in ventriculo signa adsint.

Per totum hujus morbi decursum, æger vestem laneam internam induere debet. Squalor et sordes sedulo subducenda. Conclave perflatum purissimum accipere debet; gravia loco

salubris sunt mutanda, si fieri possit, et ne multa, omnia quæ, febre grassante pestilente ad contagium delendum fieri soleant hic pariter servari oportet.

Victus esse debet qualem supra memoravi; caseus, adeps, carnes, et liquores ardentiores magis strenue evitanda sunt, si febris intermittens aut remittens cum Dysenteria sociatur, præparata e cortice cinchonæ officinalis danda sunt, quod si ventriculus irritabilis minus hunc toleret, vinum rubrum potandum, infusum cinchonæ ventriculo imbecilli convenientius est.

Diæta ex cibo minime irritante constare debet, quandoquidem errore diætæ, morbus nullus revertere proclivior est, pro potu liquores blandi, scilicet lactis serum, &c. valde sufficiunt.

Ad vires ægri redintegrandas, tonica, et cætera, cinchona longe præeminet, potissimum adjuvant. Panno lanio uti pro veste ægrum oportet; nam ita corpus ex mutationibus cœli repentinis tuetur, et ægro revalescente exercitatio modica, maximè corpus morbi vehementia exhaustum reficiat.

FINIS.